



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 6. Quomodo responderi potest his verbis Marci 2. 7. Quis potest  
dimittere peccata nisi solus Deus? ex quibus videtur sensum verborum  
absolutionis non esse, quòd Sacerdos effectivè peccata remittat?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

*De Sacramento Pœnit. Cap. III. 13*  
tionem Sacramentalem Sacerdotis esse nudum  
Ministerium pronuntiandi & declarandi re-  
missa esse peccata confitenti, Anathema sit.

Rationem affert Divus Thomas, dum ait:  
Sacramenta nova Legis non solum signifi- S. Tho. 3. Pe  
cant: sed etiam faciunt quod significant: q. 84. art. 3.  
unde sicut Sacerdos baptizando aliquem, ad 5.  
ostendit hominem interiùs ablutum per verba  
& facta, & non solum significativè, sed  
effectivè; ita etiam cum dicit: Ego te absol-  
vo, ostendit hominem absolutum, non solum  
significativè, sed etiam effectivè.

Quæst. 6. Quomodo responderi potest his  
verbis quæ habentur Marci, cap. 2. v. 7.  
Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?  
Ex quibus videtur, sensum verborum absolu-  
tionis non esse, quod Sacerdos effectivè pec-  
cata remittat?

Resp. Respondeo ex Divo Thoma: Dicen- S. Tho. 3. Pe  
dum quod solus Deus per authoritatem, & à q. 84. art. 3.  
peccato absolvit, & peccatum remittit: Sa- ad 3.  
cerdotes tamen utrumque faciunt per Ministe-  
rium; in quantum scilicet verba Sacerdotis  
in hoc Sacramento instrumentaliter operantur  
in virtute divina, sicut etiam in aliis Sacra-  
mentis.

Quod idem S. Doctor, fortiùs etiam ex-  
plicat Opusculo 22. cap. 1. ubi hæc habet:  
Dixit Dominus Petro, Matth. 16. Quodcum-  
que solveris super terram, erit solutum & in  
coelis. Quod ad usum Clavium pertinere osten-  
ditur; nam promiserat: Et tibi dabo Claves  
Regni Cœlorum. Et post quasi usum Clavium  
exponens dicit: Et quodcumque solveris. Pa-  
tet ergo ex dictis Salvatoris, quod habens  
Claves absolvit. Prasumptuosum est ergo, ne  
dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non pos-  
sit, ego te absolvo, quem Dominus absolvens

confitetur. Magis autem ex verbis Domini colligitur, hanc esse formam debitam absolvendi, Ego te absolvo. Sicut enim Dominus discipulis dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos. *Matth. ultimo*, ita dixit: Quodcumque solveris super terram. Vnde sicut conveniens est forma Baptismi ut Minister dicat, Ego te baptizo, quia Dominus Ministris actum baptizandi attribuit; ita conveniens forma est ut dicatur, Ego te absolvo, quia Dominus Ministro actum absolvendi attribuit.

*Quaest. 7.* Præter hæc verba, Ego te absolvo, &c. oportet-ne in absolvendo dicere alia verba, quæ in Rituali præscribuntur?

*Resp.* Quamvis ommissio aliquorum ex his verbis, non efficiat absolutionem invalidam, constat tamen, nisi necessitas aliud suadeat, omninò recitanda esse quæ in Rituali continentur sine ulla prorsus additione, vel detractio-  
ne; & quia experientiâ constat, plures Confessarios aliquatenus alterare formulam in absolvendo præscriptam, non abs re erit hîc indicare formam, & apponere, quæ habeatur in Rituali Romano de Sacramento Pœnitentiæ in hunc modum: *Cùm igitur Pœnitentem absolvere voluerit, injunctâ ei prius, & ab eo acceptâ salutari Pœnitentiâ, primò dicit: Misereatur tui omnipotens Deus & dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam. Amen. Deinde dexterâ versus pœnitentem elevatâ, dicit: Indulgentiam, absolutionem & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus. Amen. Dominus noster Jesus-Christus te absolvat, & ego autoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu*